

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;  
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ  
propositiones, & alia

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 5. Quid est Oratio sidei de qua sanctus Jacobus loquitur?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40817**

## 232 TRACTATUS VII.

ligi debet tam de mortali quam de veniali peccato, sic enim ait: *Si invenit peccatum aliquod vel mortale vel veniale, quoad culpam, tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis.*

Quartus denique & ultimus hujus Sacra-  
menti effectus, qui ei maximè proprius est,  
est animam à reliquiis peccatis liberare; datur  
enim, ut ait Divus Thomas loco mox citato,  
*Contra illos defectus, quibus homo spiritua-  
liter infirmatur, ut non habeat perfectum vi-  
gorem ad actus vita, gratia, vel gloria; &  
hic defectus nihil aliud est, quam quadam  
debilitas & ineptitudo, qua in nobis relinqui-  
tur, ex peccato actuali vel originali: &  
contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc  
Sacramentum.*

Omnis autem hi effectus tam insigne producti à Sacramento Extremæ-Untionis, ex-  
citare debent Pastores, ne quidquam præter-  
mittant vel negligant, ut tale auxilium præ-  
beant infirmis, quando eis magis prodest  
potest ob bonas dispositiones ægroti, neve ex-  
pectent extremum vitæ discrimen, in quo vi-  
mori bi solent ita premi, ut non possint bene se  
præparare ad recipiendas gratias, quæ in ex-  
tremo illo conflictu adeo sunt necessariae. His  
quoque uti possunt rationibus Parochi, ut sibi  
commissos populos adhortentur ad hoc divi-  
num remedium obtainendum, quod adeo illis  
utile futurum est, ut implacabilem suum hos-  
tem superent, & æternæ vitæ aditum sibi pa-  
rent, quæ eorum victoriæ futura est merces  
magna nimis.

*Quest. 5. Quid est Oratio fidei de qua  
sanctus Jacobus loquitur?*

*Resp. Per orationem fidei potest, Primò in-  
telligi Oratio communis, quâ Sacerdos Sa-*

S. Tho, in  
suppl. 3. p. q.  
30. art. 1. in  
corp.

*De Sacram. Extr. Vnct. Cap. III. 233*

eramentum administrans, & adstantes, invocant Deum, ut infirmo periclitanti salutem animæ, & corporis, si ad ejus salutem sit profutura, impertiatur.

Secundò, Oratio fidei propriè loquendo, est forma Sacramenti Extremæ Unctionis, quæ quidem forma, cùm sit deprecatoria, seu per modum Orationis, necessariò adjunctam habet fidem, cui veluti radici, Oratio, tanquam ejus primus fructus, adscribitur.

Tertiò, dicitur Oratio fidei, quia fides complectitur & significat omnes virtutes quæ ex ipsa profluiunt.

Quartò, dicitur Oratio fidei, quia pro solis fidelibus est instituta, & proficiscitur ex fide Ecclesiæ, cujus Sacerdos hujus Sacramenti minister personam sustinet.

Denique quia Oratio, quæ sacrae Unctionis formam constituit, totque præstantes effectus, si modo fides commendet, & hos qui precantur & illum pro quo deprecantur, in suscipientium animis ingenerat, sola fide intelligitur, ut potè quæ magnum Mysterium fidei contineat.

---

C A P U T I V .

*Quænam Dispositiones ad legitimam  
hujus Sacramenti perceptionem  
exiguntur.*

*Quæst. I.* **Q**UÆNAM dispositiones exiguntur ad hoc Sacramentum ritè suscipiendum?

*Resp.* Præsuppositis dispositionibus remotis, ut qui ungendus est oleo sacro, sit Baptismi Sacramento iniciatus; ut periculose decum-